

cessibus, & gaudiis perfruantur indeficientibus. Notum esse igitur volumus omnium sanctæ Ecclesiæ, nostrorumque præsentium scilicet, & futurorum fidelium intelligentiæ Aquensem Episcopum præfulem nomine Primum (1) interventu, ac petitione dominæ Sophiæ dilectissimæ sororis nostræ (2) nostram adisse misericordiam, firmiterque postulasse clementiam, quatenus pro Dei amore, nostræque animæ remedio sibi, suæque inopiæ ac intollerabili penuriæ (3), misericorditer subvenientes, nostrique genitoris, seu aliorum antecessorum nostrorum Imperatorum, vel Regum instituta observantes incon-
 vulsa per nostram regalem auctoritatem jam dictæ urbis, & omnium castellorum, atque villarum ad eandem Ecclesiam recte pertinentium, seu omnium hominum super proprietates ipsius Ecclesiæ habitantium tam de Cavatorio, quam communi de Tercio, seu de Setebri, atque Cassine integram districtionem intrinsecus, & extrinsecus circumquaque per tria milliaria concedere, donare, confirmare, corroborare dignemur. Nos itaque Dei omnipotentis misericordiam considerantes, ejusque Episcopi inopiæ, & magnæ penuriæ subvenientes suam supplicationem benignis auribus audientes jam dicto Episcopo in honorem S. Petri dicato, & dicto præfulei Primo, seu cuicumque inibi pro tempore præfidenti juxta nostri bonæ memoriæ genitoris, aliorumque nostrorum prædecessorum Imperialia, & Regalia decreta quidquid inde nostræ parti pertinet publice prout iuste, & legaliter possumus, concedimus, largimur, ipsique venerabili loco vel cuicumque inibi pro tempore præfidenti subjugantes confirmamus, corroboramus ut per hanc nostræ concessionis, & confirmationis auctoritatem jam dictæ urbis, & omnium castellorum, atque villarum ad eandem Ecclesiam recte pertinentium (5), seu omnium hominum super proprietates ipsius Ecclesiæ habitantium tam de Cavatorio, quam etiam de Tercio, seu de Setebri, atque de Caxinis intrinsecus, & per tria milliaria ex omni parte extrinsecus districtio ipsius Ven. loci, vel præfulis perpetuo jure subdatur dominio. Confirmamus etiam, & corroboramus eidem Primo Pontifici, suisque successoribus omnes res, & proprietates ipsius Aquensis Pontificatus plebes etiam videlicet Osimam, & aliam sitam in Camiliaria, & tertiam sitam in Veximo, aliam etiam plebem in loco, qui nominatur Cauro, & aliam, quæ nominatur in Seritello cum cunctis decimis, earumque primitiis omnibus, ut tam suprascriptam districtionem, quam etiam cuncta hæc loca, universasque eorum pertinentias jam dictus Primus, sui-
 que successores habeant, teneant, atque per hanc nostram auctoritatem firmiter possideant omni nostra, nostrorumque successorum molestatione penitus remota præcipientes itaque jubemus ut nullus dux Marchio, Episcopus, comes, vicecomes, feudalschio, Gastaldus, nullaque Regni nostri præpotens aut parva persona jam dictum primum Episcopum, aut suos successores de jam dicta districtione a nobis concessa, seu de universis rebus, ac proprietatibus jam dicto Episcopo pertinentibus inquietare, molestare, aut disvestire præsumat, sed liceat eis per hanc nostram Regalem paginam eandem districtio-

nem, ac jam prædictas plebes, universasque earum pertinentias (4) tranquillo, ac proprietario jure possidere omnium hominum contradictione, & diminutione penitus remota. Si quis igitur contra hanc nostræ concessionis, & corroboracionis auctoritatem aliquid agere, & jam dictum Episcopum de præfata districtione inquietare, aut de prætaxatis rebus disvestire tentaverit sciat se compositurum auri optimi libras centum medietatem Camerae nostræ, & medietatem Venerabili loco, & jam dicto Pontifici, seu cuicumque inibi pro tempore Præsidenti. Quod ut verius credatur, diligenterque ab omnibus observetur manu propria roborantes sigilli nostri impressione inferius insigniri jussimus.

Signum D. Ottonis Magni & Serenissimi Regis.

Heribergus Cancellarius vice Petri Cumani Episcopi, & Archicapellani recognovi. Datum XII. Kalend. maii anno Dom. Incarn. DCCCXCVI. (6) Regni vero D. Ottonis invictissimi Regis XIII. indict. VIII. Actum in Civitate, quæ dicitur Cremona feliciter amen.

(1) In mea Episcoporum Aquensi serie XX.

(2) Ex nonnullis aliis diplomatis hujus Imperatoris hoc anno & sequenti editis ad preces Sophiæ verisimile est hanc Ottoni Italiam peragranti comitem fuisse.

(3) Animadvertat lector ingravescentem declinante sæculo X. hujus Ecclesiæ paupertatem. Ante annos XVII. jam inopia laborabat, ut videre est in diplom. antecedenti Otto. II. Nunc non inopia, sed intollerabili penuria vexatam legimus. Hujus rei causa in tanta horum temporum scriptorum, ac monumentorum egestate haud liquido apparet. Cæterum meminerit lector eorum, quæ Anselmus Marchio in fundatione Monasterii Spigni conqueritur, Saracenorum scilicet vastationes & malorum, ac perfidorum hominum direptiones. Hoc & priore anno populum Mediolanensem cum Archiepiscopo Landulfo consistantem legimus. Sic Johannem XV. & biennium post Greg. V. consanguineum Ottonis III. Imperatoris Crescentii Romani factione Roma expulsos fuisse tradunt Historia, quæ hominum licentia s. Romanos, & Mediolanenses Pontifices aggredi est ausa, quid non ageret in alios tenuioris fortuna, & ordinis Episcopos? Et sane dimidium versus sæc. XI. S. Guido affirmabat se jam a multis annis inchoasse Monasterii S. Mariæ ædificationem, nec potuisse, ut in votis erat citius perficere ob devastaciones, prædones, ac persecutores sui Episcopatus.

(4) Hoc omnium antiquius est monumentum, quo opida nomine Communis appellantur.

(5) Ex hac phrasi his hic repetita intelligere est, agi hic non de nova concessione, ac investitura, sed de sola confirmatione concessionis alias Ecclesiæ Aquensi factæ: Dolendum tamen hanc uti, & alia perisse.

(6) Duo itaque in hac concessione videntur distinguenda: civile unum, alterum Ecclesiasticum; civile est castrorum, & villarum imperium; Ecclesiasticum baptismalium Ecclesiarum, earumque reddituum concessio. Utrumque hic Ecclesiæ Aquensi ab Ottone confirmatum.

(7) Duo antiqua exemplaria alterum archivii capit. alterum insertum in diplomate Caroli IV. Imperatoris discrepant in anni supputatione. i. habet DCCCXCVI. ind. VIII. secundum uno anno alterum excedit. Hujus